

550.34

216146 30.

12446

33

DISPUTATIO PHYSICA,
De
TERRÆ MOTU,



Quam
D. T. O. M. A.
SVB
PRÆSIDIO
VIRI



AMPLISS. EXCELLENTISS. & PRÆCLARISS.
DN. JOHANNIS SPERLINGII,
 PHYSICES IN ILLUSTRIS VVITTEBERG.

ACADEM. PROF. PUBL. LONGE
 CELEBERRIMI,
 DN. PRÆCEPT. OPT. FAULT. MAX. ÆVITATEM-
 QUE DEVENERANDI,
 PVBLICO DOCTORVM EXAMINI
 VENTILANDAM SISTIT

GEORGIUS CASPARUS KIRCHMAIER
UFFENHEMIO-FRANCUS.
 AUT. & RESP.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad diem 11. Octobr. horis matutinis. Anno M DC LVI.

WITTEBERGÆ,
 TYPIS EXSCRIBEBAT IOHANNES HAKEN.

*Metastand (1656)
 Erdbeben*

VIRIS

*Per-Reverendâ Dignitate, Amplitudine, Excellentia,
Prudentiâ, Humanitateque Celeberrimis,*

**DN. M. CHRISTOPHORO Weelfüh-
ren / MARCH. BRANDENB. INF. Superinten-
denti General. Eminentissimo Illustris, quod Onoldi
est, Consistorii Ecclesiast. Assess. Gravissimo, Pa-
stori inibidem Vigilantissimo, Dn. Patrono,
Promotori atque Evergetæ suo æta-
tém sancté observando.**

NEC NON

**DN. M. CASPARI Hammerschmidt/
SERENISS. PRINCIP. BRAND. à Concionibus
& Confess. Aulicis: & ad D. Gumberti Ædem Pa-
stori fidelissimo, Illust. Consist. Onoldini
Assess. Splendidiss. Dn. Patrono ac
Promotori suo æviternum de-
venerando. Pariterque**

**DN. ERNESTO STRÖBELIO,
Illust. apud Onold. Consist. Secretario Meritissimo, Ju-
dicij Imperator. Provinc. Procuratori jurato Spe-
ctatiss. Notario Cam. Imper. Immatriculat.
Dn. Patrono ac Promot. suo jugiter
venerando.**

*Primitias hasce Academicas cum submissâ mentis
observ. sacras facit*

A. & R.

Georgius Caspar Kirchmaier.



Quod DEUS benè vertat PRO O E M I U M.



Grande malum bellum est: iis comprimis, quos nefanda illa exagitat Erynnis, & ceu piaculari victimâ crebra mactat. Grandius loquar, cuius quoq; nomen perhorresco: Pests contagium id est. Quod utrum Gradivo Marte sit inferius, an secus? in dubium quidem eo. Aquarum inundationes, ubi semel erupere, & quâ data porta, impetum fecere: non trahititè terra Superficiem strinxere saltem: sed hominesque atque regiones altè demersere aquis. Fulminum ictus ille ridet, cui, ut cum magno vate loquar, triplex circa pectus æs est.

Horribilius longè restat. Et, nisi vehementer erro, horribilissimum cunctorum.

TERRAEMOTVS est, TERRAEMOTVS inquam. Quem horrorem potius, quàm horrorem causam appellavero. Enim verò si spectemus bellum: repellam, inquit Sapiens Seneca, muro hostem. Præruptæ altitudinis Castella, exercitus vel magnos morabuntur. Si contagiosam illam luem:

pestilens, ait, calum exhaustit urbes, non abstulit. Mutare quoque sedes licet.

Si aquas ignesve pensitemus: nimborum, pergit vim effusam, & cadentes sine fine aquas tecta propellunt. Fugientes non sequitur incendium. Si tonitrua, si fulmina examinemus: nempe fatur, aduersus caeli minas & ruinas, subterranea domus, & defossi in altum Specus, remedia sunt. Ignis ille caelestis non transverberat terram; sed exiguo eius retunditur objectu. Nullum, sine effugio, malum est. Hoc patet latisimè. Inevitabile, auidum publicè noxium. Vbi parum vel solatii vel auxilii esse potest. Sed quid causæ quæso? Tantasne ciere motus terram posse? Igitur non mater terra est. Noverca est. Profectò si indagandarum rerum anxietatem in Antiquis licet: hic non parum licet. Multi sunt in hoc & curiosi sunt, & nescio quantum iudiciorum cumulum hic sarcinent.

Varias auctorum opiniones lustrare quem delectat, Doctorem solertissimum Senecam habet, Ductores quoque Plinium, Aristotelem, Cardanum, Celeberr. Sennertum, Alios. Nos potius ambage remotâ, ad hoc ipsum exercitiorum genus ferimur, breves ducturi, de TERRAEMOTV lineas. Faxit Deus ut FELICITER!

THESIS I.

Terræmotus est meteorum spirituosum, ex effluvio flatuoso terræ cavernis præter naturam incluso, exitumque cum impetu quærente genitum.

Scalig.
Exerc. 2. §. I. Divina res cum in Naturâ ordo sit, monente Subtilitatum Magistro, à primo, quod ajunt, ovo, ordiamur opus. Definitio igitur si prior asit, addenda cætera non negligemus. Omnium autè est accuratissima, quam in Institut. posuit. Natura dexterrimus interpres NOSTER.

§. 2. In

§. 2. Intimiùs, quid hæc sibi verba velint pensitaturi: re-
solvamus quæ dicta sunt nervosius.

§. 3. Genus definitionis *Meteororum* appellatur. Unde inquires
ita? Neque enim *μετέωρον*: h. e. quoddam in sublimi suspen-
dium **TERRÆMOTUS** est. Existit enim intra ipsam terram.
Audi celeberrimum Dn. Præsidem! *Res, ait ipse; teneantur, verba
non lancinentur.* Scaliger alibi: *loquamur, inquit cum multis
sapiamus cum paucis.* Nolumus igitur & nos, ut *Platonica ver-
ba* nostra faciamus, *σπεύδωμεν ὡς πρὸς τὸ ὄνομασθαι.* Ipse quoque
Galenus; *appella ut libet, modo rei nihil mutes!* Possemus rem
tamen eâ corroborare ratione, quòd à potiori ubique fiat de-
nominatio. Senatum quoq; à senibus dici, clam neminem est.
Non tamen omnes senatores, senes sunt. Mittimus minutias
Etymi.

§. 4. Dicitur spirituosum, ab *Efficiente proximo* scilicet,
quod effluvia spirituosa ac flatuosa sunt. Hæc autem unde o-
riantur, ex inferioribus patefcet.

§. 5. *Materia* Spirituum horum *in quâ*, seu subjectum,
idque patiens, terra est.

§. 6. *Forma* hujus, per se nulla est. Accidens enim motus
hic est. Dicimus cum Bartholin. tamen, in ordine ad spiritus i-
psam *concussionem*, vel *impetum potius* cum Excellentiss. Dno.
Sperlingio.

§. 7. *Finis*, spirituum inclusorum *exitus* est. Quo ipso ta-
men peculiarem Dei intentionem, quâ mortalium vel refræ-
nat contumaciam, vel impietatem multat, vel ad pænitentiam
invitat, non excludimus.

§. 8. Ampliorem huic nostro negotio ut affundamus lu-
cem, fusius paulò, quid **TERRÆMOTUM** non, & quid præci-
sè det, explanaturi sumus. Estò igitur:

THESIS II.

Terræmotus Causa Efficiens, non est Terra ipsa.

§. 1. Quietem enim sempiternam amat hæc, & suâ spõ-
te motum non capesit unquam. Eleganter Ampliss. Dn. Præ-
ses: *non lacesita, inquit, nunquam moveretur terra.* Particula

Et projecta, non tam motum desiderat, quam quietem. Imbellis ipsa est & inermis: parata quosvis recipere & actus & ictus. Spiritus in causâ sunt. Hi enim quo-modo-cunque volunt, versant terram & impellunt. Nimirum patiens subiectum est, non primò agens. Quo de dicendum infra.

§. 2. Exesto hic in vulgus notum *Copernici*, modernorumque quorundam *Cartesij* & aliorum deliramentum. Multa illi sanis sensibus inferre praelia non verecundantur, motum terræ statuminando. Hoc est, cursum terræ adeò pernicissimum, ut horarum spacio 24. tota circumrotari, facili negotio queat. Neque ea quidem opinio noviter inventa ab iisdem est. Sed à priscis quondam hausta, & ingenio eorum parū hinc ingenue interpolata. Vapulent inquam hi flagellis, quæ *Sealiger* severè talibus interminatur. Nobis non sedet impræsentiarum id nunc elidere & eludere. Quandoquidem rem circa longè aliam nunc locanda opera est. Meteororum aliquod indagamus, TERRÆMOTUM scilicet, non motum terræ, quem frustraneo illi nisu, telluri obtrudere conantur.

*Senec.
Quest.
natural.
c. X. p. m.
651.*

§. 3. Aliter *Anaximenes*, terram ipsam sibi causam huius morbi esse, opinabatur. Etenim primùm, omnia aiebat, vetustate labuntur, nec quicquam tutum à Senectute est. Hæc solida quoque & magni roboris carpit. Quemadmodum in ædificiis vetustioribus quædam non percussæ, tamen decidunt, cum plus ponderis, quam virtutum habuere. Solvuntur enim vetustate. Verùm magni res animi semper fuit, haud assentiri temerè: Sed naturæ dimovere latebras, & in Deorum, ut *Sapiens* ait, descendere secreta. Nihil ad sui tendit destructionem. Nec etiam corrumpuntur vetustate elementa. Claudicat igitur ab altero latere, quod adferebatur de senectute telluris, simile.

THESIS III.

Terræmotus causa Efficiens, præcisè non est AER.

§. 1. Erratur adhuc circa verum. Neuter tamen dissidentium errasse mavult. Videmus, ait *Toletus*, igni appositas castaneas, & ova & glandes, magno rumpi impetu, & projici, quod non fit, nisi
cum

cum ista ventosa sint, ipsorum aer inclusus à Calore rarefit, ac rarefactus, majorem petit locum, quem querit extra. Sunt hinc tam mala mixta bonis, quam bona mixta malis. Rectius igitur fecerimus, si Opt. Max. Præcept. ac Fautoris subjecerimus verba. Hic enim: *Levior*, inquit, *hæc est causa rei tanta. Aeri res tanta non adscribenda. Neq; enim rarefit ille. In terra motu tremit ipsum orbis fundamentum, suntq; ædificiorum rupturæ & rapturæ.*

Tract. de
Subtil.
Med. 6.
ff. 1. p. m.
120.

§. 2. *Forfan*, ait ille apud Senecam, *fit ab aere nitente sursum?* Affatim! solidè! Forfan non fit ab aere? Et certè ita est. Primò enim tanta ejus copia in cavernis terræ non latitat. Dein si vel maximè lateret, tantis tamen insultibus & tumultibus moliundis longè esset impar aer. Bodinus ait: *illud animadverti- sione dignum est, quòd si terræ motus ab aere in terrarum visceribus concepto fieret, id maximè hibernis temporibus contingere videremus, quibus terræ ab aquarum concreione conclusa atq; constipata, exspirations cohibere solet. Contra tamen fit ut maximi terre motus semper ferè sub auctumnium aut Veris tempus accidant.* Intelligenda hæc tamen cum grano salis.

Vid. Sen.
ib. l. cit.

Bodin. in
Theatr.
Nat. lib.
2. p. 177.

§. 3. Exempli vice esto terræmotus iste, qui Tubingenfium Academiam, anno superiore: pariter & ille, qui circa finem Maij hujus nostri (1656) Basileam, celebre Helvetiæ Lycéum, minacibus terræ ululatibus & boatibus conterruit. Mensè circiter Septemb. urbem Constantinopolitanorum immani quantum pridem discessam labe, auctor est Bodinus. Eodem, in eadem urbe iterum dehiscebat solum, hominumq; 13000. uno rictu devorabat. Breviter. Fit quidem non sine aere terræmotus, prout nec sine aere ventus: Sed tamen nec ab aere. Argumentamur:

Vid. D.
Wagn:
Concion.
von dem
fortschèd.
Erdib.
circa
Mens.
Apr.
1655.
Bodin. Th.
nat. l. 2. p.
178.

Quicquid saltem se habet ut nudum aliquod concomitans, illud proximè ac præcisè non dat terræmotum. Aer in cavernis terre. E.

THESIS IV.

Terræmotus causa non est præcisè aqua.

§. 1. Multa sunt, ut acutissimus loqui amat Scaliger, quæ omninò latent animos temperatos; illudunt curiosis. Plurimi enim

Exerc.
218. f. 8.

enim ubi quæsitum non est opus, quærunt, negligunt interea, & vilipendant necessaria scitu. Ea labes est mortalium, nullo veritatis sensu & assensu ampliùs expiandâ.

Elementorum cum ne ulli tutò quidè obtrudi id negotii possit: itur ad aquam.

§. 2. Multos è terræ motibus, prodiisse alveos constat, in-
quiunt, vastissimosq; undarum stagnantium repertos sæpius
in terrâ specus esse, id quidem indubiâ veritatis esse perhibent.
Ast causam motionis hujus fuisse crassas illas aquas, non in-
justam dissentienti nobis præbet ansam. Placet Sapientem au-
dire Senecam. *Ajunt quidam, sic fiet motus alicujus partis, in quam
flumen dedit impetum, & quàm donec decrescat, verberabit. Potest
fieri, ut aliquam regionem rivus affluens exedat, ac secum trahat,
aliquantam molem: quâ lapsâ superposita quatiantur. Et pau-
culis interjectis. Potest quoq; major solito exorta tempestas, aliquâ
partem terrarum impulsam vehementiùs movere. Nam apud nos
quoq; multa, quæ procul à mari fuerint, subito ejus accessu vapula-
vère. Quârum rationum debilitatem non immeritò in subse-
quentibus carpit Vir gravissimus.*

§. 3. Alii, ex quibus quoq; Thales Milesius, unus ex 7. Græ-
ciæ sapientibus, terram totam, subjecto judicabat olim, humo-
re portari & innatare. Sive Oceanum, sive magnum mare, sive
aliam quamcunque aquam eo nomine intelligas, habent per-
inde. Illudq; firmissimi ponebant loco documenti, aquas
esse in causâ, quibus hic orbis agitur, quòd in omni majore
motu, novi semper erumpunt amnes. Quantò rectiùs Se-
neca: *Hanc inquit, opinionem falsam esse, non est diu colligendû.
Nam si terram aqua sustineret, tota aliquando concuteretur: sem-
per moveretur. Nec agitari illam miraremur, sed manere.*

§. 4. In occidentali parte, Illustris inquit Scaliger, insulæ
Hispaniolæ, mons est visendus, altitudine multis intus cavus
specubus, in quibus tanto sonitu, tantis aquarum fragoribus
præcipitantur fluvii, ut ad quinque milliaria procul, ea ruina
exaudiatur. Nihil tamen ibidem de terræ motu. Verbo. Con-
cludimus cum Ampliss. Dn. Præside,

Quæst.
nat. lib.
VI. d. Ter-
ram. C.
VII. p. m.
652.

Senec.
ibid. l. cit.

Scal. Ex-
erc. 38.

Vid. Inst.
Phys. c. X.
Præcept.
4. p. 961.

Qua-

Quaecunq; materia nimis est crassa, tam mira & tam subita haud edere potest opera, Aqua, E.

THESIS V.

Terræmotûs causa non est præcisè ignis.

§. 1. Sacer amor veritatis est. Hujus igitur calta penetrare adyta & abdita, optimi quique magnis allaborant nisibus. Neque deturpanda fucò est, hæc absolutissimæ formæ Helena.

§. 2. Ignem caussam motûs hujus, multi semper judicavêre. Hic ipse, dicunt, in obvia incurrit, furit, de exitu follicitus, divellit repugnantia, donec per angusta ad augusta eluctetur, & vi faciat injuriam. Tyranni alicujus schema inductus latè omnia depopulatur, nulli superabilis hosti. Depascit inde & devastat materiam obnitentem. Quæ si quando ceciderit exesa, sequi necessariò Terræmotum. Quoniam partes, suis destitutæ adminiculis, donec corruere, labant. *Perinde ac in incēdio quadam civitatis pars laboret, cum exusta trabes sunt, firmamenta, suis exagitata sedibus concidunt, donec in solido cuncta residerunt.* Verba hæc quidem, sed non dicta è trippode. Accomodandum hoc adductum simile & confirmandum foret, non nudè affirmandum.

*Vid. Sen.
cit. loc.*

§. 3. Scimus, concedimus, ingentem in cœcis terræ antris subterranei ignis latitare copiam. An verò semet ipsum suis exturbare sedibus laboret, anve obnitentem sibi terram depascat aut devastet, ut motus terræ, & tantus quidem oriatur? id sanè oppidò fallit. Et profectò nec intendit id ignis, nec etiam potest.

§. 4. Virum se hæc præbet Nobilis Cardanus. Lubet tamē Cenforis ejus Acutissimi Scaligeri apponere dicta. De hoc (Terræ motu scilicet) *miserè Tu ac mutile. Atq; unâ modò vulgari assignatâ causâ, dilaberis ad Sulphur & Salis Petreæ purgationem, & bitumen. Ab his de gladii inflictione. Pergit: causam, verò, quam afferebas, nullam esse. patet. Concutitur, inquis, terra, cum materia, quæ uri apta est, uritur. Quin ajo tibi, neque propterea quatitur, (semper enim quatitur, ubi semper uritur) sed aliis duabus de causâ. patitur succussionem.* Progreditur Scaliger:

*Scal. d.
Subtili ad
Card. Exerc.
erc. 34.
Card. lib.
2. Subtil.
de Elem.
p. 205.*

Ais etiam: Sulphur hoc esse pingue & aereum. At tu non ille ipse es Cardanus, qui supra negabas, aerem ingredi in composita naturalia. Hæc illa penè non cruenta summorum virorum prælia.

THESIS VI.

Terræmotûs causa non est Cacodæmon.

§. 1. Regitur opinionibus orbis, & suis se coercere terminis nescit quidem Humanorum temeritudo acteneritudo. Hinc nihil tam putandum absolum est, quod suos non habeat patronos atque defensores.

§. 2. Bodinus clarus cæterum auctor, malè hîc tamen naturam deserens, aut desertus à Naturâ, ad malos Dæmones terræ hæc volvit molimina. Anxius hinc inde titubat, & unde illi potissimum exurgant motus, nullibi quidem invenit. Tandem tamen in hanc prolabitur opinionem: *Geniorum (seu Dæmonum) ope fieri, ita tamen ut nihil moliantur injussi: quò fit, ut nec procella, nec terrarum labe, ordinarias & nature congruentes habeant causas aut effectiones.*

§. 3. An fando percepit talia quisquam? unquam? usquâ? Profectò sunt, ut omnem prorsus respuant applausum. Igitur hæc recitasse, esto refutasse.

§. 3. Nos ut ubivis, sic & hîc manum Dei gloriosissimè potentissimam agnoscimus. Procul autem nonnunquam spiritum illum nequam Satanam, hostem humani generis jurarissimum ab esse, non dixerimus.illum quidem veneramur ut Naturæ Autorem, Rectorem, Directorem. Hunc, ut miras & diras sibi adaptantem larvas. Dei simiam sæpius experimur. *Non ille, ait Excell. Dn. Præses, procul à nobis, in ignotis versatur sedibus sed terras perambulat. Sed proximæ hîc dantur causæ & veræ. Quæ etiam ceu proximè quàm maximè indaganda à nobis impræsentiarum veniunt.*

THESIS VII.

Terræmotûs causa Efficiens, sunt Effluvia Spirituosa.

§. 1. Nimirum error si plauctus foret, omnium ædes perfonarent ejulatu. Liberanda igitur hoc eo malo veritas est:

&

*Bodin.
Theat. Ph.
lib. 2. p.
178.*

*Inst. Phys.
lib. 5. Q.
1. p. 290.*

& quantum pro virili licet, validioribus lacertis defendenda. Diximus superius, Terramorum causam efficientem, præcisè nec Aerem, nec Aquam, nec Ignem, multò minus Terram ipsam esse posse.

§. 2. Quid igitur id causæ sit: nunc est expediendum. Verbo. Spiritus sunt. Opus procedit ita. Primò, Spiritus illi terræ, præter naturam inclusi carceribus, agunt & tumultuantur. (2.) Tellus ipsa patitur obnitendo, & (3.) passa ante quæ fuerat, reagit in hostes, eosdemque masculè retundit. Hi (4) naturâ suâ citi subtiles, vehementissimique, novos molliuntur impetus, & contrarios non impari furore in resistantem humum ictûs vibrant. Neve (5.) conquiescunt antè, quàm immani vulnere, aut egressu ac secessu alio, obnitentis vindicarent contumaciam. Rerum ponderentur circumstantiæ, & facti patebit ratio.

§. 3. Ne id verò tantùm ex nostro scrinio & scrutinio videamur depromsisse, adducturi quædam sumus prolixius. Ita sapiens Seneca: *Maxima ergo causa est, propter quam terra moveatur, Spiritus naturâ citus, & locum è loco mutans. Ubi erepta discedendæ facultas est, & undiq; obstititur, tunc magno cum murmure montis circum claustra fremit: quæ diu pulsata convellitur, eò acrior, quo cum valentiore morâ spiritus luctabatur. Indomitæ naturæ ille ipse est. Atque concitatus suum sibi jus vendicat ac vindicat. Nil igitur quod*

luctantèis ventos, tempestatesq; sonoras,

imperio premat, aut vinclis & carcere frænnet.

Σποδίζοντων μὲν ἐν, ait Philosophus, ἐξ ἀνάγκης, τὸ τάχιστα φερόμενον. Idem alibi. Oportet etiam intelligere, quod sicut in corpore nostro, & tremorum & pulsuum causa est spiritus, qui intercipitur: sic & in terrâ Spiritum similia facere, putandum. Tanto autem hi robore valent, ut multi simul tentantes atque sustentantes dominari his motibus vix possint. Tale igitur, inquit, Aristoteles oportet fieri & in terrâ, ut comparetur ad parvum majus. In subtili de subtilitate Tractatu scribit Præcept. Opt. Max. Dn. Præsès: Rapas qui comedunt, flatus habent. Habent eosdem qui fabas & castaneas assumserunt. In Terre motu tremat ipsum orbis fun-

Quest.
Nat. lib.
6. c. 18. p.
m. 655.
Virgil.
lib. 1. A-
neid. Virg.
1. Aeneid.
Aristote-
les lib. 2.
Meteor. c.
8. lit. B.
De Subtil.
Med. VI.
de Rar. ff.
1. p. 120.

damentum, fiuntq; rupturæ. & edificiorum & civitatum ruinæ. Profecto nõ ab aere: sed à Spiritibus, quorum potestas maxima. Rationes exinde si indagaverimus, Syllogismus pronascetur talis.

Quorumcunq; natura ad ciendos Terre motus maximè est idonea, sufficiens & vehementissima, illa proximè dant Terre motum, Spirituum.

Minorem multijugo ratiociniorum apparatu ex prioribus habes: appone sis conclusionem.

§. 4. Sciscitaris autem, cuinam præsertim principio, suum hi debeant Spiritus ortum? Dicam. Ventum nosti? Terræ motum haud ignorabis. Hic enim quod intra: id ille supra terram est. Saltem locis differunt. Instas? Resp. Effluvia illa potissimum calida sunt. Adest etiam aqua; non crassa illa, sed in tenues resoluta vapores. Nec sulphur abest. Quid si & nitrosâ corpuscula non pauca? Adest aer mobilis, qui licet præcisè ad causandum non concurrat, nihil tamen eo versabilius. Hic ut naturam suam aliquando exerceat, semper gaudet vagatione. Talia igitur in minima redacta corpuscula, contraria & impura, si Spirituum jam assumerint naturam, quid vetat, eosdem non cieri terras posse, si interdictus cursus fiet? Nec prætermittenda sidera sunt, quorum in extrahendis his exhalationibus virtus non ponenda inter postrema. Magnâ quoque locorum terrarumque est hîc habenda ratio. Non ruendum ad figmenta, & hæc & alia tantum, certò determinâda. Secretiora quippe hæc sunt, & minus vendibilia vulgo. Sufficit tantum, si negetur totum. Et profecto si aliàs nocturnarum cernimus oculis, cur non & hîc quædam, luminum aciem perstringat teneritudo?

*Vid. Sen.
loc. Sep.
cit. supr.*

*Vid. Sen.
ibid. id.
adducit in
Exerc. Ph.
Ex IX. de
Terrm.
Excell.
Dn. Præf.*

§. 5. Unicum subnectimus, declarandi ergo, Democriti simile. *Quemadmodum in foro aut vico, quamdiu paucitas est, sine quidem tumultu ambulatur. Ubi turba in angustum cucurrit, aliorum in alios incurrentium rixa fit: Sic ubi in magnâ laxitate corpora pauca versantur, nec arietare possunt, nec impelli.* Hæc de hisce. Sequuntur quædam circumstantiæ.

I. TEM-

I. TEMPVS.

§. 1. Ad feliciùs averruncanda dubia, notetur in triplicem accommodè hoc posse dîvidi classẽ.

§. 2. In Tempus præcedens. Sic signa varia præludunt, ex quibus futuræ conquassationis desumi prælagia queunt. Ita Anaximander, ita & Pythagoras, haustu aquæ turbulentæ ac Sulphuræ leguntur motum prædixisse. Vid. Infra quæst. 1.

§. 3. Præsens & Instans, remotum statuunt & propinquum. Illud *Ver* est aut *Autumnus*. Hoc, tranquillum tempus vel (1) *nocturnum*: quapropter Aristoteles ait, *fiunt tranquillitate plurimi & maximi Terræmotus: Nocte autem plures & majores.* (2) *Diluculum*. Idem ait: *Ad diluculum maxime.* Luna enim humorum Domina, ubi vi frigoris in angustius cogit effluvia illa, ut intra sese magis coarctentur: quid oritur? VIS UNITA FORTIOR:

§. 4. Durans. Duratio hæc non eadem sed varia, ait Celeb. Sennertus, *prout vel terra magis minusve resistit, vel Spiritus copiosi sunt aut pauci.* Communiter tamen si maximus insurgat, ultra quadraginta vix continuatur soles.

II. SPECIES.

§. 1. Variant hæc Autores: Ut, quot capita, tot ferè hoc de penso sint sententiæ. Adeò mundus hominû subjectus est Speculationibus ut non unum de re unâ sit iudicium.

§. 2. *Faccheti Censor*, 4. convasat raptim carptim species: (1) *Tremorem* (2) *Concussonem* (3) *arietationem* & (4) *inclinationem.*

§. 3. Bodinus mirum impertinentia cumulat. Species, ait ibidem, aliæ sunt (1) *Epiclinta* (2) *Chasmatia* (3) *Rhecta* (4) *Ostra* (5) *Palmatia* (6) *Alyceta* (7) *Brashta*. Contra quem produci-mus non immeritò, Illustrẽ Heroa Scaligerum, ita alibi sermocinantem: *Omnia converris, convasas, confundis, ac fasce-atim construis; fabros, mangones, coquos, seplasiarios, pigmentarios, dulciarios, agricolas, ænopolas, rerum adulte-ria.*

§. 4. Cardanus, *concutitur*, inquit, *terra tribus modis.* (1) *in-clinatione*, (2) *Succusssione*, (3) *Vibratione.* *Vibratio periculo va-*

*Arist. 2.
Met. c. 8.*

*Loc. sup.
cit. p. 343.
Vid. Liv.
dec. 4. lib.
4. 5.*

*Instit. Ph.
lib. 7. c. 15.
de Terræ.
p. 506.
Theatr.
Nat. l. 2.
p. 175.
Exerc. 306
Sect. 6.
De Subtil.
lib. 2. Ele-
m. p. 201.*

cat. Inclinatio verò, ruina est pedissequa. Succussio omnis aliquid habet majus simplici ictu.

§. 5. *Ammianus* hâc de re quid senserit, adduxit, in *Fabro suo Augustissimus Latinitatis Sospitator Buchnerus*.

§. 6. Verùm enim verò, cum de strictè & verè dictis speciebus impræsens nos agamus, & id rei postulet necessitas, sanè non possumus, quin cum *Ampliss. Dn. Præside* dividamus *Terræmotum*, in *Simplicem*; qui vel *Tremor vel pulsus est*; & *Compositum*, cum terra ob contrarios effluviolorum impetus in longum & acutum percutitur. *Vid. Lector Optime Instit. Phys. Autoris, lib. IV. Præc. IV. C. LX. p. 963. & seq.* Docet idem *Dn. D. Senaertus*, maximamque partem *Aristoteles*.

Scien.
Nat. l. 4.
c. cit.

III. EFFECTVS.

§. 1. Species, recto insequuntur tramite effectus. Non autem jam motibus est assignandum, quod agunt Spiritus. Dispositio, uti loquuntur accidentalis saltem ille est, & per accidens telluri ipsi competit. Hæc enim cum sempiternâ requie fruatur, advehuntur Spiritus, dulcomque interturbant quietem. Hi nempe causæ sunt, ut urbes, artis soboles florentissimas, quæ spectatores mœnibus, ordine & nitore titillant, hora una devoret, quas immenso sumptuum laborumque impendio extruxit seculum.

§. 2. Horrendum est, quod *Plurimum Reverendus & Amplissimus Dn. Meelfuhrerus* inter alia memorat. Anno salutaris Epochæ 1572, (quem ipsum quoque annum, mirandum quoddam cœli *κατακλιση*, famosaque Parisiorum multo cruore truculenter interruptæ Nuptiæ, æternis commendavêre annalibus.) insignis Constantinopoli erupit Terræmotus. Jactabantur, (horrendum dictu!) lapides, ut *Columellæ* utar verbo, dipondiarij. Necabantur in urbe ipsâ, & extra ponoeria ejus ad excursum 4. milliarium, hominum 30000. qui ob præsentissimam ruinam, miserabili planè & lugubri sibimet ipsis parentavêre lessu. Abreptum quoque è suo loco templum est, & ad 24. Stadia prope, translocatum.

§. 3. Ex *Justiniano Siculo*, *Zonorâ*, *Damasceno* & *Mene-
logio*

Im Teu-
sche Bib-
lischen
Spruch-
büchl.
2. Theil, p.
506. & 507.

logio quod refert, *Max. VIR Theolog. Dn. D. Dorschens, videte est in Admirand. Mort. Christ. p. 337.*

§. 4. Johann Baptista Porta narrat, in Bavariâ anno à nato Salvatore 1348. ex terrâmotu 50. & plures rusticos, in statues quasi salarias aut lapideas transmutatos esse & obriguisse. Spectaculo miro ac misero. Per ampliora ire exempla, si mens animi esset, in immensum progredieretur sermo.

Videbis Lector Benivole hâc de re *Plin. Hist. Natural. lib. II. c. 79. Aristotelem in Meteorolog. lib. 2. c. 8. p. 781. seqq. Liviû dec. 3. 4. l. 4. 5. Ovid. in Metamorph. lib. 15. f. 4. Senecam Lib. 6. Quæst. Nat. Evagr. Hist. Evagr. Hist. Eccl. l. 1. c. 17. Celeb. Sennert. Scient. Nat. l. 4. c. 4. Jonstonium in Admir. Meteor. c. 7. art. 2. alios. Exclamemus:*

Felices populos, qui non sensere tremores
hos terræ immanes! neque, si tententur ab illis,
Condat eos penitus clades in gurgite vasto.

Si leviter moveatur humus: Sit gratia Summo,
pœniteatq; mali.

Fuerunt hæc: succedunt nunc expediendæ quæstiones.

QVÆSTIO I.

Quenam sint futuri motûs signa? R.

§. 1. Signa multifaria sunt. Præcedit interdum sonus terribilis, inconditæque voces eventuri mali anteaambulæ sunt, boûm mugitibus, Luporum ululatibus, armorumve pulsantium fragoribus, nolarumque sonitibus non absimiles.

§. 2. Excell. Dn. Præses, Faut. ac Patr. max. inquit, *sunt signa partim prævia, partim simultanea (ut sic loquar) partim subsequa.* Mare & putei prægnantium more inflantur ventis silentibus. Aqua putealis turbidior est, sulphureos efflans odores. Naves fluctuant, nullâ externâ concussæ injuriâ. Præceditque motum futurum, aut interdiu, aut paullo post occasum, sereno cælo, ceu tenuis in longum porrecta linea nubis. Sol sine ferè nube apparet caliginosus. Quin nec volucres impavidæ sedent:

Inst. Phys.
lib. IV.

p. 961.

Adi

Plin. Ari-
stot. Senec.

Dr. Senn.

dent: deliberantque Mortales intrane penateis mancant, an
vagentur in aprico.

§. 3. Prolixa hinc coacervaremus Sapientum unanimi con-
sensu testimonia, nisi Scaliger vellicaret aures, scriptitando;

*Haud capitum numero crescit Sapientia. Verum
procupctis, sapiens unicus. Hic sat erit.*

II. QUÆSTIO

Undenam horrendi illi mugitus & rugitus?

§. 1. Sonus omnis ex aeris fit fractione. Hinc & murmura &
sibila Zephyrorum: hinc horrifoni tumultus & insultus. Hinc,
ait Naturæ dexterrimus Scrutator, NOSTER, *omnis linguarū
exercitus vocalis est, tubæq; & cornua taratantara sonant.* Frangi-
tur certè aer, dum contraria inter se discurrent & decertant,
non sine enormi strepitu & crepitu.

§. 2. Sonus hic nunc gravis, nunc acutus, nunc raucus,
nunc gemebundus, nunc fremebundus, nunc varius, nunc
terribilis prorsus. *Gravis*, cum per meatus amplos, Spiritus
tumultuantur & grassantur. *Acutus*, si sint subtiliores: clau-
stra item terræ sicciōra & angustiora. *Raucus*, ex humidis &
stagnantibus ubi evagantur antris. Sic Instrumentum Musi-
cum, quò siccius; hoc clariorem: quò humidius; hoc magis
raucumparit sonum. *Gembundus*, ubi tremulo more modoq;
per aufractuosa foramina exhalant, subsilientes quasi atq;
resaltantes. *Fremebundus*, si Spiritus sint quodammodo cras-
siores [putain ordine ad alios] & per loca dura densa, solidaque
migrent. *Remissus*, ubi tardius & debilius aer vapulat ac seca-
tur: evaporationes item rariores afflunt. *Varius*, prout aer à
Spiritibus aliter aliterque finditur ac scinditur. Res clara est.
Sicuti enim ex homine vox diversimodè erumpit, ex diversâ
organi, per quod meat, dispositione; sic & hinc se habet opus.
Terribilis existit, ubi maxima halituum multitudo, loca am-
pliora

*Inst. Ph.
Præc. 1. p.
620.*

*Vidd. Au-
tores sep.
cit. supra.*

pliora & recurva quodammodo perrumpunt. Excell. Dn. Pr.
ait: non secus ac ex amphora, ventre amplo praeclata, vox auditur
terribilis. Vel, sicut cum pueri spiritum instant dolio, sonus tam hor-
rendus excitatur, ut terreantur praetereuntes. Instit. Phys. lib. V.
Qu. 1. p. 971.

QVÆSTIO III.

*An universalis Terræ motus simul & semel
existere queat? R.*

§. 1. Naturaliter haudquaquam. Unde enim tanta innu-
merorum copia spirituum? at movere hi debebant. Igitur per
naturam simpliciter impossibile est, & omne totius terræ lati-
fundium his infici exhalationibus unâ vice, & cōquassari pos-
se. Incomparabilis seculi nostri Æsculapius Sennertus ait:
*ex his apparet, terram totam simul concuti nunquam posse. Spiritus
enim in cavernis terræ inclusi ad totum terræ globum, nullam ferè
proportionem habent. Adstipulatur huic, suo quoque calculo
Excell. Dn. Præses. Magnus, rescribens, terræ habetur motus,
qui ad 30. aut 40. milliaria Germanica extenditur. Maxima
enim Spirituum copia ad illam requiritur agitationem.*

§. 2. At at dices: tremuit universus, patiente atque mo-
riente Salvatore nostro, terræ globus: ictibus tam vehemen-
tibus, ut XX. celebres in Asia urbes, unâ nocte prostratæ cor-
ruerint. &c.

Miraculi vicem id præstitit. Igitur trans naturæ opera
positum quid erit. Hoc est, miraculosum profus. Neque id
affine vero est, quod de quantitate virtutis, ad totam terram
proferunt. Etenim si ingens motus exurgat, ordinariè ultra
supra locatos terminos vix extenderetur.

QVÆSTIO IV.

*Quenam terra frequentius his motibus
insestetur?*

§. 1. O utinam tranquillas illiusmodi sedes inhabitandas

C

fida

Scient.
Naturaf.
l. 4. c. 4.
super h. l.
Exercit.
Ph. Ex
IX. de met.
Spir.
Vid. Plin.
l. cit. Cic.
2. de Offic.
XII. mem.

*Barcl. in Euph. Lu-
sin. sat. p.
1. §. 1.* fida mater Natura nobismet elocasset ubi, ut ille quidem non
invenisse fatur: nulla unquam nubes caelum asperant, nulla bru-
ma segetes extinguit, nulli aestus adurunt. Sed puro incorruptoque
aeris tractu, liquidi ac pellucidi fontes campos alluunt, patentesque
hinc inde plage, & amena seu salubritate montium, seu planitierum
equabilitate, regio homines alit genio loci & fortunâ suâ dignos.
Sed optare hos campos licet, non sperare, minùs exspectare.

*Vid. Ex-
erc. Phys.
Ex IX. d.
h. re..*

§. 2. Interim tamen, non omnis terra aëque malo tanto
exposita est. Difficulter & rariùs arenosa & pulverulenta eru-
pere enim facili molimine spiritus possunt. Difficulter limosa
& fungosa, citiùs enim ac feliciùs hinc quoque disjiciuntur. Cõ-
muniùs autem terra montana, dura atque solida, multis refer-
ta impuris exhalationibus, item mineralibus.

*De Subtil.
lib. 2. El.
p. 207.*

§. 3. Aliter Cardanus sentit. *Nec tamen, inquit, totam qua-
ti terram existumes: nam referunt nunquam Ægyptum tremuisse.
Nam nec solida, quod aërem non concipiant: nec limosa, qualis
Ægyptus, terramotu concutuntur.* Duo comprimis hinc ob-
veniunt non sine asterisco prætermittenda. Alterum vim Ex-
perientia oppidò infert, alterum fallaci rem devenustat ceruf-
sâ. Si igitur penitiùs inspiciamus objecta: falsò substituta
ratio quantocyùs deprehendetur. Ægyptiacos campos pro-
pter limi exuberantiam & exsuperantiam, nunquam credit

*Senec. Qu.
Nat. lib.
VI. c. 26.
p. m. 659.*

tremuisse. *Huic non immerito illud opponimus Pythagoreum:
Soline obloquitor! Sapiens ait: hanc, (Ægyptum) philosophi
credula natio, dixerunt non moveri, autore Pindaro. Thucidi-
des ait circa bellū Pelopponisiacū tremuisse. Callisthenes etiã
hoc alio iterum tempore, testatur accidisse. Cœterum de aëre
quod objicit: rem tribuit ei minùs quidem competentem, &
nimis grandem. Probavimus supra, aërem tantas præcisè
turbas dare non posse. Ponamus interim posse, ingredi ta-
men aër nonnullibi valeret. Habet enim & solida tellus, suas
alibi rimas & foramina tenuia. Sed consistendum in medio,
ne in numerosiores sermo excreseat pagellas.*

QVÆ.

QVÆSTIO V.

An Terræ motus futurorum etiam malorum agat auguria?

§. 1. Nullam calamitatem iolam, diuervium non minùs vetustate tritum, quàm comunitum veritate est. Celeberr. Dn. D. Sennertus: *non verò, inquit, præsentia tantum mala afferre, aut in ipso tantum motu periculum esse, sed par, aut majus ostentum, terræ motum prædicere credendum est.* Nunquam Romanam tremuisse, quàm magni cujusdam eventus futuri id prænuncium esset, autor Plinius est. Antiochia, florentissimum Græciæ oppidum, antequàm periturum funditus esset, multis iisque vehementibus pertentatum motibus fuit.

§. 2. Labet exemplivice apponere, quod *Per-Reverendus Excellentissimusq; Dn. Meelfuhrerus, Ephorus & Evergeta noster summus*, alibi iterum recenset. Accidit, ut ibidem (Antioch.) erumperet Terræ motus tantus, quantum

— nec vis verborum, nec possunt ullius ora
eloquier. — — — — —

Hic cum hominumq; atq; ædificiorum innumerū vasto gurgite ab sorpsisset numerum: Superstitum cohors, seriâ actâ pænitiâ, urbis, nudis pedibus pererraturus angulos omnem — sacris clamoribus æthera complet.

Quo factò, valido, uti quidẽ videbatur, robore Angelus, cui dâ è turba præ cæteris sãctiori viro apparet, astat, fractâ, asperitate rerum mentem dictis mulcet, datque in mandatis, festinus indicare velit, ut singuli supra extantium adhuc ædium limen, sequentia exararent verba: *CHRISTUS NOBIS CUM, STATE!* Quibus ad superiora ostiorum limina adsignatis, omnis derepentè tempestas defervescebat. Tandem tamen alibi, terræ motu alio funditus extincta urbis splèdida legitur.

§. 3. Cæterum, bella & disfidiorum semina, terræ prænunciata motibus fuisse experientia innuit apertissimè.

§. 4. Comprimis verò Venti, ubi terræ facta ruptio est, exoriuntur, & venena latè sparguntur, quæ miris ac diris mo-

Scien.
Nat. l. 4.
c. 4. p. 345.

Im Teu-
sche Bib-
lischen
Spruch-
büchl.
part. 2. p.
413. & 414.
aus Dr.
Heinrich
Leuchte.
Cent.
Magd. 6.
p. 796.

Senec. Qu. nat. l. cit. f. dis hominesque atque bruta jugulant & prosternunt. Sapiens scribit: per foramina illa pestilens exhalat vapor, quem non homini ducere, non fera, tutum est. Aves quoque si in talem incidant, in tequam cælo meliore leniatur aura, in ipso cadunt volatu, liventque corpora, & non aliter, quam per vim elisæ fauces tument. Nimirum in multum vitium adolevit, cæci tristitiâ loci vapor. Hoc malignior, quò segnior. Qui malitiâ sui, regiones per totum aëra infuscat. Nec pestilentia desinit prius, quam spiritus illos venenis fotos, serenior exercuit cæli laxitas, & ad longinquius arcendum ventorum pepulit tractatio. *Id. ibid. l. c.* Quapropter, monet Experientissimus Sennertus, quod Romani olim faciebant, qui, ubi terram motam senserant, nunciatumve erat, ferias ob id edicto imperabant. auctore Gellio l. 2. c. 78. nos potius malis talibus vel presentibus vel imminentibus, faciamus, Deo culpam deprecabundi.

QUÆSTIO VI.

Quomodo integræ domus, urbes atq; regiones absorberi per Terræ motum possint? R.

Hist. Nat. Peregr. L. XVI. cap. 65. p. 383.

§. 1. Non absorbentur omnia. Nunc enim plana subriguntur: nunc extuberantur valles: nunc amnes prodeunt ignoti antè: nunc novæ in profundo formantur insulæ, nunc alio versus montes, ædes, arbores, oppidaque transferuntur. Nierembergius ait: apud Camarines quoq; terram eodem die quatuordecies contremuisse, fide dignis testimoniis renunciatum est: multa interim ædificia diruta. Ingentem montem medium crepuisse immani hiatu, ex immensâ vi excussisse arbores per oras pelagi, ita ut Leucam occuparent æquoris, nec humor per intervallum id apparuit.

§. 2. Inquis: sed verè absorpti integri tractus, integræ deglutitæ urbes sunt, & immensæ intra terram ruinas agitarut ædes. R. aut subsident in solidum multa, aut vastissimi quoque in terrâ sæpenumerò specus sunt, & antra capacia multum: in qua per has terræ Cōsternationes quantaquanta possunt abire.

§. 3. Sæpiculè etiam cum naturalibus his causis Deus peculiariter, ut iratum Numen concurrat ut talia edantur opera, quæ nos simpliciter impossibilia rebamur factu.

QUÆ-

QVÆSTIO VII.

Qui fiat, quòd alia terra, iisdem haud dubiè infecta effluviis non quatiatur?

§. 1. Liceat alieniore nobis sensu, parumper imitari Subtilissimi verba Scaligeri. Ego verò scire, aueo, quare rumpatur hic terræ tractus, & non ille? Dicam. Quia caret partium propinquitate, duritie. Sed quare ea quæ his omnibus prædita sunt rumpuntur, illa non? Quia, inquit, valentius agens nacta sunt. Audio. Sed quamobrem non aliud æquè, quod multa etiam vis pepulit? Una ratio est Subtilitatis. Inæqualitas.

Exerc. 5.
sect. 6.

Nimirum terra, quò est solidior, quò durior, eò periculosius hoc laborare malo putanda est. Est autem solidissima durissimaq; communiter in locis saxosis, petrosis, montanis & huiusmodi aliis. Hæc igitur & frequentius & vehementius infestari præcæteris & possunt, & solent.

§. 2. Dicam hic nobis Philosophus scribere videtur, dum in 2. *Meteor. c. 8.* statuit circa hæc loca fortissimos fieri Terræ motus, ὅπερ ἢ χόρα σομῶν ἢ ὑπαιθροῦ. Mittimus posterius; ast quod de regione rarâ ac laxâ profert, fortissimas ei adscribendo concussiones, rerum testatrici experientia, & ipsi rationi arietem videtur intorquere.

Norunt rem humiles quoque animulæ, terram multum laxam & raram, (qualis arenosa est aut pulverulenta) Spiritûs minus cohibere, & parùm obicis obdere posse, quin undique datâ hac portâ exhalent. Æquum huic accommodare iudicium cui sedet volupe, non, opinor, inficias iturus est.

QVÆSTIO VIII.

An, & quomodo ars efficere Terræmotum possit?

§. 1. Non tantummodò conglobatæ nubes, quas multa calidi frigidique coegit materies, terrificæ bombis dissultantibus miscent fulmina. Quin & periculosiora mortalium ausus intonant tonitrua;

Tract. de §. 2. Sagacissimus Naturæ Interpres NOSTER scribit: *ars potens est: potentior natura: potentissimus Deus. Tanta vis artis, Subtil. Med. 2. de tanta potestas est, ut odio sit apud plerosq̄. Bombardarum robur mat. & pyrii pulveris virtus adeo excrevere, ut fulminibus ipsis tonitribusve, & sono & terrore & clade, de validitate controversiam fecisse videantur. Hostes absentes feriunt eminus, & p. 134. terribili terrore terras terrent. Martios cerne quæso Tubos: nam ignitas pilas vehementissimè ejaculantur. Placet admodum Herois Scaligeri non sine penu & lepore eloquium. Pace tuâ dicam Iupiter. Fulmina nostra sunt terribiora tuis: age, coege nubes, ut tonare queas: nos etiam te tranquillo, iratum regnum tuum faciemus.*

Lib. de Subtil. El. 2. p. 109.

§. 3. Quomodo autem id negotii fieri soleat, experientiâ edocuius Cardanus describit eruditè per Cuniculos illos subterraneos: MINAS vulgatâ voce vocant. Producemus acutum, Virum ipsum. Quoniam abs se comminisci qui nescit utilia, aliorum utitur ingenio innocenter. Huius, inquit, tam atrocis inventi autor fuit Franciscus Georgius Senensis. Ergo cum arx maximè in monte jacet, videturq̄, ob situm inexpugnabilis, cuniculum effodiunt obliquum, altitudinis 4. Cubitorum, latitudinis 2. Cum ad locum quem subruere destinatis, perveneris, obliquum specû oportet esse, ne vis ignis conclusi raritate loci evanescat: indeq̄, locus ille pulvere totus fermè completur pyrio, eoq̄, tenuissimo: locus arundine circumvestitur, cuneis, lapidibusq̄, ostium, quod adeo clausum sit oportet, ut solius arundinis locus relinquatur. Deducitur in specu funis. Igitur accenso ejus initio, celerrimè ob pulverem, pyrium ignis, usq̄, ad ipsam pulveris recondituram permeat, accenditq̄, pulverem totum. Cumq̄, cuneis & lapidibus obstructus locus sit, nec si extrudantur, ullus pateat exitus, necessum est, ut disrupto monte, quicquid superstructum est, evertat, totamq̄, montis molera concutiat. Bodinus inquit: Supposita illa nitri & Sulphuris materia, tantis angustiis, contineri, & tam arctè concludi oportet, ut ne minima quidem rimâ aeri patere possit aditus: alioquin pulvere vis nulla futura est, ut satis intelligunt qui Cuniculis actis muros disjiciunt. Alibi scribit, Vir verâ Sapientiâ uber Scaliger: Bombardâ Jovis iram imitati sumus: tempus ipsum, librorum perpetui-

Theat. Nat. l. 2. p. 175.

petuitate superavimus : Horologiis temporum comites, rotarum circumactione effecimus. Vide amabò Lecture, Instit. Ph. Cl. Dn. Pr. lib. 5. p. 965.

Exerc. 99.
sect. 1.

QVÆSTIO IX.

Quidnam contra Terræmotus solatio sit? R.

§. 1. Ubi timor, mora & periculum fugam abruptè : nullus solatio remediove relictus videtur locus. Nescit equidem, mens benè composita de firmo animi sui statu deturbari, ubi ubi sit, & in quâtis versetur ancipitiis. Pavida corda malorum semper exercent auguria.

§. 2. Aliàs in Terræmotibus ajunt tutissimum esse, cum vibrat tellus crispante ædificiorum crepitu : aut cum intumescit assurgens, alterno verò motu residet. Innoxium, cum concurrentia tecta contrario ictu arietant. Quoniam alter motus alteri renititur.

Plin. c. 82.
§. 6. Hist.
Nat. lib.
II.

§. 3. Sapienter Castigatissimus morum Magister & Naturæ Mystes Seneca alicubi sermocinatur. Cujus, cum in aliam, tum in hanc rem quàm maximè conducant, non pigror ad ducere verba. *Illalacet inferorum regna retégantur, stabit super illam Voraginem animus intrepidus : & fortasse quò debet cadere, defiliet. Securus aspiciet fulminantis cœli trucem & horridam faciem. Quid ad me quàm sint magna quibus pereo. Ipsum perire non est magnum. Nec me à interest, ait alibi, quantus circa mortem meam tumultus sit : ipsa ubiq; tantundem est.* Miseri nos homunculi, quas non vanitatum nectimus spes, cràs fortasse an morituri, inq; tenuè redigendi favillam ? Cumq; unius puncti possessores certos, esse non liceat ; prolixas securitatis ambages, in hâc morientium Republicâ somniamus. Necesse est, mori, ubicunque, quandoque. Stet licet ista humus, & suis se teneat finibus. Supra me quandoq; erit. Perinde est ergo, illam ego mihi, an ipsa se mihi imponat. Idem aliorum interjectu, verba promit profectò exquisitissima, digna quæ animo Sedeant fideliter. *Si volumus tranquillè vivere, & ipsis Diis de felicitate controversiam facere, anima in expedito est habenda. Rerum naturate, quæ genuit, exspectat, & locus melior ac tutior.* II.

Lib. VI. c.
32. p. m.
662.

or. Illic non tremunt terra, non incendia regiones urbesq; vastant,
non naufragiorum totas classes sorbentium metus est, non arma cō-
traria disposita vexillis, & in mutuam perniciem par furor: non pe-
silentia, & ardentes pronisue communes populis cadentibus rogi.

Hæc & illa quæ adhuc dici poterant, tanta non
sunt, ut morentur ad portam & portum an-
helantem.

TIBI

LaVs pater oMnIpotens DoCtor! LaVs ChrIste
reDeMtor!

DVCtor & æternans, aMpLa parata siet!



Ad

Eximium DN. RESPONDENTEM,
manu amicâ.

INgenio quantum valeas, quantoque labore.
Feceris officium, litera scripta docet.
I nunc & pulchrè, cathedræ de sede, recessûs
Mentis declara, docta que verba fere.
Surget honor tantus, quo non sublimior alter:
Pro magnis ausis præmia magna feres.

JOHANN Sperling/
P. P.



fortis.